ÆNEAS BRITANNICUS,

Sive Sereniſſimi ac Potentiſſimi

CAROLI II

D. G. BRITANNIARUM,

Franciæ, & *Hiberniæ*, &c.

MONARCHÆ Auguſtiſſimi,

Geſta, Bella, Exilium, Reditus,
Connubia, &c. Carmine *Virgiliano*
Celebrata

Per

Iacobum Kennedum
Scotum Aberdonenſem.

Anno Dom. 1663.

AD AUTHOREM VIRGILIZANTEM.

M. A R O:

Anagramm.

AMOR. RAMO. MORA. ORAM. ARMO. ROMA.

E Dictum [sic fama refert] ne præter Apellem
Pellæi quisquam pingeret ora Ducis.
Quis CAROLO par esse author ? quæ penna ? quis ardor
Entheus ? ingenium, judiciumve, foret ?
Kennede ni per te redivivi Musa Maronis
Dicere det CAROLVM nobiliore tubâ.
Fœlici Æneæ deduxit carmine gesta
Rex vatum, Aönidum deliciæque MARO.
Vt CAROLI resonet redivivo pectine laudes,
Constans te in Regem, Kennede, suasit AMOR.
Nube MARO *Æneam Didonis texit in Oris,*
Ilicèô RAMO *tu* Carolumque *tegis.*
Æneam Genitrix salvum per tela, per hostes
Præstitit, & CAROLVM sed magè casta Venus.
Vtque MARO *cecinit, cunctando restitui rem;*
Restituit CAROLI rem magè fausta MORA.
Qui primùm ut nostram ter fœlix attigit ORAM,
Exceptusque ARMO *quadrupedantis equi.*
Se victam, victosque Duces, victosque triumphos,
Sæpius indoluit Martia ROMA *suos.*

Quum

Quum verò Æneæ melior Lavinia nostro
Cesserit, Hesperidum Lusiadumque decus.
Kennede te in fastis cumulamus vota sequentes,
Figentes sacris hoc anathema tholis.
Victor agat CAROLVS, *victrix* CATHARINA *jugales*
Et cumulent festos, sed sine nube, dies.
Vt BONVS, *&* IVSTVS, MAGNVS, CALVVS QVE *notetur;*
Et CAROLO CAROLOS *det* CATHARINA *pares.*

AD EUNDEM

Vti fœcundo si pergas pectine Phœbi;
Alter Virgilius, Naso vel alter eris.

Jo. Forbesius,
In *Vniversitatis Aberdonensis*
Collegio Regio
Humanioris literaturæ
Professor.

AD *AUTHOREM*

Epigramma.

Æneas quantum, Teucri & Lavinia Vati
Debent; quod volitent docta per ora virûm:
CAROLVS & Scoti tantum, & Catharina, Camœnæ
Debebunt olim, Kennede docte, tuæ.

P. Camerarius.

A D

INVICTISSIMUM

CAROLUM II.

D. G. BRITANNI*A*RUM,

IMP. OPT. MAX.

SEMPER AUG.

FOELICISSIMUM AC PIENTISSIMUM,

BONO IMPERII NATUM,

PATREM PATRIÆ,

Tyrannidis
Anarchiæ
Belli Civilis
} EXTINCTOREM.

Pacis
Libertatis
Veterum legum
} RESTITUTOREM,

EPIGRAMMA

EPIGRAMMA

Quale decus tremulis addit Sol aureus aſtris,
Qui toto radios ſpargit in orbe vagos;
Tale tuis miranda decus tua Gloria terris
Undique; Lux ævi, CAROLE, magna tui.
Nubibus ut pulſis veſtigia lucida Titan
Igneus aſtriferi librat in axe poli:
Sic, has ut fugiunt cingentia nubila Terras,
Tu noſtro æthereum fundis in Orbe jubar.
Nutrit Terrigenas Proles Hyperionis omnes;
Tu tria vivifico Regna favore foves.
Noſtræ etiam teneræ vitamque animamque Camœnæ
Impertit frontis Lux rediviva tuæ:
Qualiter Eoö quum Sol procedit ab alto,
Aurea Solſequium tegmina pandit ovans:
Phœbus at Occiduo ſe tingit dum æquore, cernes
Solſequium valvas claudere triſte ſuas.
Noſtra etiam, Rex magne, tui (a te pendula) vultus
Sic varias ſequitur Calliopeia vices.
Te duce (Pacifici ſoboles generoſa Iacobi)
Romanæ incipiam ſolvere fila Lyræ.
Protinus Andinus fundet tibi Carmina Vates,
Et tua Virgilij fiſtula geſta canet.

Quis

Quis potior digno tua facta referre Cothurno
Quàm qui Dardanium condidit ore Virum.

S. T. M. H. S.

Iacobus Kennedus

AD LECTOREM

CUr ego Romuleï modulatus arundine Vatis
Carmina sim? meritò, Lector amice, rogas.
Curve, Caledonii refero dum gestaMonarchæ,
Ausim Virgilii tangere plectra lyræ?
Ovid. 2. Trist. In promptu Causa est; tenuis mihi Campus aratur:
Illud erat magnæ fertilitatis opus.
Inclyta grandiloquo Caroli dicenda Cothurno
Gesta, Palatini carmine digna Dei.
Non Lauro frons cincta mihi Parnaside: Phœbus
Non dedit Æmoniam solicitare Lyram.
Ore valet CAROLUM digno quis dicere vatum?
Cui tantùm ingenio Turba novena favet?
Apta Maronææ CAROLI præconia linguæ;
Regum honor hic; Vatum Gloria magna Maro.

Æn.

Argumentum.

CAROLUS hìc magnus, nulli pietate ſecundus,
Nomine præclarum referens animoque parentem,
Brutigenam contra belli dat ſigna Rebellem;
Milite ſtipatus Scoto: feſtinat in hoſtem.
Pugnatur: mittit Rex plurima corpora letho.
Certant Grampigenæ virtutem oſtendere factis.
Cæduntur que Duces, cadit & ſine nomine vulgus.
Majori longè numero victoria tandem
Prædoni cedit: Tum Rex, quando ultima cernit,
Evadit ducente Deo, tela inter & hoſtes
Tutus: & Anglorum latitans pauliſper in oris,
Cogitur exilia, & diverſas quærere terras.
Navigat ad Gallos primùm: Germanica Regna
Dein ſubit: ad Flandros venit hinc gratiſſimus hoſpes.
Atque hunc magnanimum poſtremò Hollandia Regem
Excipit. hucque viros, reditum veniamque rogantes,
Ad Regem mittunt lectos tum ritè Britanni:
Qui redit, & ſolio Sceptriſq; potitus avitis,
Luſiadum de gente accerſit deniq; Sponſam:
Tum verò æterno junguntur fœdera nexu
Connubij; multaque canit cum laude Hymenæus.

ILle ego qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, vos Druydes reduces cum Daphnide dicens
Optimo: et egressus Sylvis, pia fœdera Regum,
Atque sacras cecini tedas; nunc horrida Martis
ARma, virumque cano, Brittannis primus ab oris,
Gallica qui fato profugus Germanaque venit
Littora: multum ille & terris jactatus & alto:
Multa quoque & bello passus, dum fortè rebelles
Nunc animos mulcere cupit, nunc frangere vires,
Post varios casus, post tot discrimina rerum,
Hic tandem patrias victor remeavit ad oras.
Musa mihi causas memora, cur summus Olympi
Insignem pietate virum tot volvere casus
Impulerit Rector. Longa est injuria longæ
Ambages (meminisse horret, luctuque refugit
Heu animus!) sed summa sequar fastigia rerum;
Fergusii CAROLUS genus alto à sanguine magni,
Nomine præclarum referens animoque parentem,
Ut primum infractos adverso Marte Britannos
Defeciſſe videt, meritò implacabilis ardet,
Attollitque animos; Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento;
Sic Regi accenso gliscebat nobilis ira:
Tunc et Grampigenas in Martis suscitat arma:
Quos ipse interea dum animis audacibus implet,
Certatim sese cuncti exhortantur in arma.
Hunc decus egregium Regis movet atque juventa;
Hunc atavi Reges; hunc claris dextera factis.

Hic pedes ire parat campis: ille arduus alto
Pulverulentus equo furit; omnes arma requirunt;
Pars leves clypeos, et ſpicula lucida tergent
Arvina pingui: ſubiguntque in cote ſecures.
Signaque ferre juvat, ſonituſque audire tubarum.
Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri
Ceſſit amor: recoquunt patrios fornacibus enſes.
Claſsica jamque ſonant, it bello teſſera ſignum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementem
Cornipedem educit; clypeumque, auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur enſe.
Iam tandem armati, poſiti & ſimul ordine cuncti,
Ecce iter incipiunt: it clamor, et, agmine facto,
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.
Iamque propinquabat, duce Rege, exercitus arvis
Brutigenum, ut ſævos arceret finibus hoſtes.
Ut primum belli ſignum Rex magnus, in Anglis
Extulit, & rauco ſtrepuit Tuba martia cantu,
Utque acres concuſsit equos, utque impulit arma;
Extemplo turbati animi: multique tumultu
Undique conjurant trepido, adjunguntur & hoſti.
Ductores omnes primi, Cromuelus, & alter
Contemptor Cœli Lambertius, effera cogunt
Auxilia, & latos vaſtant cultoribus agros.
Talia per regnum Anglorum: quæ Carolus ipſe
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æſtu.
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc;
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat:
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine Lunæ,

Omnia

Omnia pervolitat latè loca, jamque ſub auras
Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti.
At quamvis triſti turbantur Regia bello
Pectora; cum forti graditur tamen agmine Scoto
Ipſe per irriguos, Anglorum, Carolus agros.
Sol medium Cœli conſcenderat igneus Orbem,
Quum Scoti muroſque procul, ac celſa domorum
Tecta vident Urbis (Vorceſtram nomine dicunt)
Eximiæ, æquavit quam priſca potentia Cœlo.
Iamque propinquabat portis equitatus apertis:
Hinc atque hinc proceres: Caroluſque ipſe agmine magnus
In medio chlamide, & pictis conſpectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfuſus Luciter unda
(Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes)
Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſque reſolvit.
Stant pavidæ in muris Matres, oculiſque ſalutant
Pulveream nubem, & fulgentes ære catervas:
Mœnia Vorceſtræ pars intrat: cætera fidam
Ante Urbem poſitis conſidunt agmina caſtris.
Grampigenæ hìc validi, & primævo flore juventus
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis,
Spicula contorquent, curſuque ictuque laceſſunt;
Quum provectus equo, præclari Regis ad aures
Nuntius, atroces multis cum millibus hoſtes
Adventare refert: tunc Scotis, ſigna ſequantur,
Carolus edicit claris, pugnæque parent ſe:
Ordine diſpoſitos dictis tum affatur amicis;
O Socii, per dura & denſa pericula vecti,
Per tantos bellorum æſtus, dupliceſque furores
Armorum; per totque hyemes: per quicquid acerbum,

Horendum

Horrendum, grave, triſte, ingens; per quicquid iniquum,
Infauſtum, & crudele foret, Deus his quoque finem
Ipſe dabit. Verùm ſocii nunc me duce ferrum
Corripite invicti; nec terreat improbus hoſtis.
Quod votis optaſtis adeſt perfringere dextra:
In manibus Mars ipſe Viri. Nunc Conjugis eſto
Quiſque ſuæ, tectique memor. Nunc magna referte
Facta, Patrum laudes: ultro occuramus et hoſti:
Audentes Fortuna juvat, timidoſque repellit.
Objiciet quiſquis ſe, vitæ prodigus, hoſti,
Ille quidem ad ſuperos, quorum ſe devovet aris,
Succedet fama, vivuſque per ora feretur.
Iamque propinquabat Cromueli exercitus omnis,
Agmina qui aggreditur paucis his perfida verbis;
Huic [vos ô lecti] Scoto nunc numen Olympi
Auxilium omnino eripuit: nunc fata ſiniſtra
Expectant Scotos: lethi diſcrimina parva
Dent animum forte his quendam, mox terga daturis.
Nunc adeo, quoniam melior pars acta diei;
Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati,
Dixerat, atque illi dictis parere parantur:
Brurigenumque duces, ſævuſque exercitus omnis,
Compoſiti numero in turmas: fremit æquore toto
Inſultans ſonipes, et preſſis pugnat habenis
Huc obverſus et huc: tum latè ferreus haſtis
Horret ager, campique armis ſublimibus ardent.
CAROLUS econtra validus, celereſque phalanges
Grampigenûm adverſæ apparent, haſtaſque reductis
Protendunt longè dextris, mittuntque ſagittas:

Adventuſque virûm, fremituſque ardeſcit equorum,
Iamque intra teli jactum progreſſus uterque
Subſtitetat. Subitò erumpunt clamore, frementeſque
Exhortantur equos: fundunt ſimul undique glandes,
Fulminis in morem: Cœlumque obtexitur umbra.
Ac velut imimſſi diverſis partibus ignes
Arentem in ſylvam, et virgulta ſonantia lauro:
Aut ubi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes, et in æquora currunt,
Quiſque ſuum populatus iter: non ſegnius acres
Pro ſe quiſque viri, ſumma nituntur opum vi:
Nec mora, nec requies: vaſto certamine tendunt.
Pallida Tyſiphone media inter millia ſævit.
Anglos bis Scoti dare terga rebellia cogunt:
Bis rejecti armis reſpectant terga tegentes;
Tertia ſed poſtquam congreſſi in prœlia, totas
Implicuere inter ſe acies, legitque virum vir,
Tum verò & gemitus morientum, & ſanguine in alto
Armaque corporaque, & permiſti cæde virorum
Semineces volvuntur equi: pugna aſpera ſurgit.
Adverſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyruſque, Notuſque, & lætus Eoïs
Eurus equis: ſtridunt ſylvæ, ſævitque tridente
Spumeus atq; imo Nereus ciet æquora fundo:
Haud ſecus Angligenæ, Scotûmqùe exercitus acer,
Concurrunt inter ſe: oriturque miſerrima cædes.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, Scotorum ingentia dicere verbis
Acta ſatis valeam; virtutem oſtendere factis
Quiſque cupit, paſſimque cadit perterritus Anglus.

Quæ

Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus ausis
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primùm,
Ipse dabit Cœli Rector: tum cætera reddet
Rex CAROLUS, meriti tanti non immemor unquam.
Iam gravis æquabat luctus, & mutua Mavors
Funera: cædebant pariter, pariterque ruebant
Victores victique, neque his fuga nota nec illis.
Cæduntur que Duces cadit & sine nomine vulgus.
At verò ingentem quatiens tum CAROLUS hastam,
Turbidus ingreditur pugnam: quàm magnus Orion,
Quum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna, viam scindens humero supereminet undas:
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
Talis & egregiis infert se CAROLUS armis;
Obvia multa virûm dimittens corpora letho.
Semineces volvit multos: aut proterit hostes
Ungulâ equi, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Ast numero longè major (proh!) prædo rebellis
(Quinquaginta illi parebant millia sæva:
At vix Grampigenûm, Carolo, bis millia septem)
Instat, & eximias Scotorum, cæde, phalanges
Usque fatigat atrox: renovatque in prælia vires.
Iamque Deo visum est animum viresque Rebelli
Addere: eïque acres stimulos sub pectore vertit.
Et Scotis immissa fuga est; sic fata volebant.
Nec jam fama mali tanti, sed certior author
Advolat (heu!) Regi, magno in discrimine jam jam
Esse suos: versis tempus succurere Scotis;
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen

Limitem

Limitem agit ferro, hoſtes quærens cæde ſuperbos.
Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenaſque manus, quinquaginta oribus ignem,
Pectoribuſque arſiſſe; Iovis quum fulmina contra
Tot paribus ſtreperet clypeïs, tot ſtringeret enſes:
Carolus haud aliter deſævit ubique per hoſtes:
Atque inter cædes, fugientiaque agmina magno
Fertur equo variiſque inſtigat vocibus ultro,
Nomine quenque vocans, reficitque in prælia pulſos;
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris;
Quo fugitis, Socii? per vos & fortia facta,
Spemque meam, patriæ quæ nunc ſubit æmula laudis,
Fidite ne pedibus: ferro rumpenda per hoſtes
Eſt via, qua globus ille virûm denſiſſimus urget.
Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoſte.
Hæc ait, & medius denſos prorumpit in hoſtes.
Nullus at inſtantes Anglos, lethumque ferentes
Suſtentare valet gladiis, aut ſiſtere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Diſjectique Duces, deſolatique manipli,
Tuta petunt, & equis averſi ad mœnia tendunt.
Qui curſu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica ſuper miſto premit agmine turba:
Nec miſeram effugiunt mortem: ſed limine in ipſo,
Mœnibus in magnis, atque inter tuta domorum,
Confixi expirant animas: nec prorſus inulti;
Millia ſed letho dant multa rebellia Scoti.
Quis cladem illius pugnæ, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrimis æquare labores?
Urbs Vorceſtra ruit, multos præclara per annos;

Plurima